



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 10. Papæ zelus adversus infideles

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. tertio Ordine S. Francisci; tractatum de
A. C. 1456. *illustranda conscientia, & de poenis injun-*
 gendis; alium de Matrimonio, usuris, & contractibus; de judicio universali; de Antichristo & bello spirituali. Tandem etiam edidit nonnullos tractatus de Jure civili. Præterea quædam alia eidem adscribuntur opera, quæ tamen necdum typis impressa exstant; inter hæc numerantur tractatus de dignitate Ecclesiastica ad Nicolaum Papam; de poenis inferni & purgatorio; de restitutione, & contractibus; item commentarii in regulam FF. Minorum, tres libri de cupiditate; sermo de passione Domini; tractatus contra Hussitas, & denique sermo adversus Joannem Rochisanam. Viri hujus vitæ historiam Henricus Sedulius Franciscanus conscripsit, ex qua non pauca discimus, quæ ad ævi hujus Historiam spectare videntur.

Sedul. Wading. Annal. minor. Girij col. 1376.

§. X.

Papæ zelus adversus Infideles.

Utriusque præclarissimi hujus Viri obitus summi Pontificis studium contra Infideles minime extinxit; quippe Henricum Castellæ Regem, ut Mauros bello peteret, impulit, insignes quoque concessit indulgentias omnibus & singulis, qui vel sub vexillis hujus Regis arma sumerent,

merent, vel eleemosynis ad sustinendos Sæcul. XV.
ejusdem belli sumptus concurrerent. A.C. 1456.

Tantam etiam Callistus in Gallorum ar-
mis fiduciam posuit, ut dicere solitus es-
set: haud dubie mihi polliceor integram
sectæ Mahometanæ, aliorumque Infide-
lium extirpationem, dummodo Fraæcia
suas ferat suppetias. Nihilominus præ-
clara hæc Pontificis elogia, quibus Gal-
licam potentiam extulit, Academiam Pa-
risiensem, necnon Rotomagensem Clerum
absterrere minime valebant, quominus
ab ejusdem Papæ Bulla, qua pro bello
sacro subsidiarias adversus infideles deci-
mas Clero Gallicano imponebat, ad fu-
turum Concilium provocarent. Callistus
hanc appellationem ægre ferens, Cardi-
nalem Alanum Parisios misit, dato ne-
gotio, ut universitatem ad revocandam
appellationem induceret. Cardinalis eo
facilius postulata obtinuit, quo benignius
jam antea Rex Christianissimus, & tota
reliqua Ecclesiæ Gallicanæ pars ob in-
stans Christianæ rei discrimen ejusmodi
exactionem concesserant. Verum longe
acriores adversarios hæc eadem Bulla
offendit in Germania; Allemani enim
querebantur, hæc decimas ab eis nimia
extorqueri violentia, ac modicam con-
cordatorum cum sua Natione erectorum
haberi rationem. Papa die trigesima
prima Augusti datis hanc in rem ad Fri-
dericum

*Odoric.
Rayn. ad
ann. 1456.
n. 56.*

*Collect. Conc.
Labb. tom.
XXIII.
p. 1393.*

Sæcul. XV. A.C. 1456. dericum Imperatorem literis objectas rationes diluere conatus est. Æneas quoque Sylvius, cujus haud remissius, quam Papæ erat urgendæ adversus Turcas expeditionis studium, sat luculenter demonstravit, quam immerito summus Pontifex violati pacti cum Germanis sanciti infimularetur.

*Æn. Sylv. in
Epist. 338.*

§. XI.

*Dissidia Papam, inter & Alphonsum
Aragonice Regem.*

Callistus, ne sacræ militiæ consilium optato frustraretur successu, sollicitè sibi Christianos Principes devincire studuit, eosque omni humanitatis studio prævenit. Ferme omnium ceterorum gratiam sibi certam habebat, solum si excipias Alphonsum, qui cum Pontifice crebras contentiones fovit ex eo, quod Callistus ipsimet Alphonso Beneventanum, & Terracinensem Vicariatum concedere, Ferdinando autem spurio ejusdem Regis Filio regni Sicillæ possessionem asserere recusaret: hanc repulsam adeo impatienti animo tulit Alphonsus, ut non satis haberet, quod Callisto per suum Oratorem natalium obscuritatem, ac multiplices favores eidem collatos, necnon impensum Nepotes suos evehendi studium exprobraret, sed etiam Henricum